



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 24. Sessio XXXIII. Benedictus declaratus contumax.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.

§. XXIV.

A. C. 1417.

Sessio XXIII. Benedictus declaratus contumax.

Labb. Conc.
to. 12. p. 222.

Cuncta hæc viam sternebant ad Sessionem trigessimam tertiam, quæ celebrata est die duodecima Maji, eo duntaxat consilio, ut Commissariorum, qui ad Benedicti inquisitionem denominati fuerant, relationes audirentur. Aderat quoque Imperator cum Electoribus, & S. R. I. Principibus, Cardinale Vivariensi pro more Præsidis vices agente. Re divina per Gnesnensem Archiepiscopum peracta, Cardinalis S. Marci nomine suorum Collegarum provinciæ sibi demandatæ rationem reddidit, declarans, se incassum vocasse Benedictum, articulos contra ipsum propositos examini subjecisse, eosque plurimorum omnis conditionis testium fide jurata comprobatos extare. Facta hac relatione iterato Benedictus citatur, eo vero nec per se ipsum, nec per suos comparente Episcopus Dolensis prælegit decretum, quo contumax declaratur, cunctaque adversus eum acta promulgari jubentur; Benedicto autem terminus ad diem decimam quintam ejusdem Mensis præfigitur, infra quem præsens se defenderet.

Statuta die tandem appropinquante, ac Benedicto denuo vocato, nec tamen com-

comparente, contumaciæ declaratio ite- Sæcul. XV.
 rata est, decernuntque Commissarii, om- A. C. 1417.
 nem ulteriorem moram omnino ab-
 rumpendam, necdum tamen sententiam
 hanc publicis inferendam esse tabulis.
 Cum vero ultimum hunc terminum Be-
 nedicto præstitutum, nimis angustum esse,
 nonnulli existimarent, denuo vigesima
 prima Maji Commissarii congressi sunt, &
 ad tollendam omnem conquerendi ac ca-
 villandi occasionem has inducias usque
 ad vigesimam quintam currentis diem
 esse porrogandas censuerunt, dempto ta-
 men omni comperendinandi jure.

§. XXV.

*Formula eligendi novum Pontificem a
 Cardinalibus proposita.*

Dum de depositione Benedicti agebatur, *Vonder*
 futuri quoque Pontificis electioni *Hardt to. 4.*
 providere constituerunt, sed in diversa *p. 1330.*
 abierunt Patrum sententiæ. Imperator,
 Germani, & Angli hanc electionem diffe-
 rendam censebant, quousque reformatio
 Ecclesiæ in Capite & membris, salutaribus
 legibus definita foret; econtra Cardina-
 les cum ceteris Nationibus uniti, creatio-
 nem Pontificis præmittendam contende-
 bant, eoquod, inquiebant isti, ad Ecclesiæ
 Caput illam emendare pertineret. Quæ res
 die vigesima nona Maji præsentem Impera-
Hist. Eccles. Tom. XXVI. **T** *tore*